



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

XLIV. De his, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant. Ante Chori  
limen supplex grave dilue crimen Flebilibus votis tristitiæque notis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)



& si cui offertur aliquid à Priore *f*, & accipere renuerit; horâ, quâ desideraverit hoc, quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil accipiat, usque ad emendationem congruam.

- a) *Id est, unâ vel simul.*
- b) *Sive culpam.*
- c) *Id est, deinde vel postmodum.*
- d) *Sive separatus.*
- e) *Præterquam enim, quòd sit vitium gulæ; non desunt, qui dicant in clandestinâ huiusmodi acceptione latere proprietatem, atque adeò speciem furti; ideòque tam apud veteres, quàm novos Ordines Religiosos gravissimè punitur; ut disciplinâ, excommunicatione &c.*
- f) *Sive Superiore.*

24. MART. 24. JUL. 23. NOVEMB.

CAPUT XLIV.

*De his, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.*

Qui pro graviore culpâ ab Oratorio & à mensâ excommunicatur *a*, horâ, quâ



quâ opus Dei in Oratorio *b* percelebra-  
 tur, ante fores Oratorii prostratus ja-  
 ceat, nihil dicens, nisi tantum posito  
 in terram capite prostratus pronus *c* o-  
 mnium de Oratorio exeuntium pedibus.  
 Et hoc tamdiu faciat, usque dum *d* Ab-  
 bas judicaverit satisfactum esse. Qui  
 dum jussus ab Abbate venerit, provol-  
 vat se ipsius Abbatis pedibus, deinde o-  
 mnium Fratrum vestigiis *e*, ut orent pro  
 eo. Et tunc, si jusserit Abbas, recipia-  
 tur in Choro vel *f* ordine, quo Abbas  
 decreverit: ita planè, ut Psalmum aut  
 Lectionem vel aliud quid non præsu-  
 mat in Oratorio imponere *g*, nisi iterum  
 Abbas jubeat. Et omnibus horis, dum  
 completur *h* Opus Dei, projiciat se in  
 terram in loco, in quo stat, & sic satisfa-  
 ciat, usque dum ei iterum jubeat Abbas,  
 ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui  
 verò pro levibus culpis excommunican-  
 tur tantum à mensâ, in Oratorio satis-  
 faciant *i*; usque ad jussionem Abbatis  
 hoc perficiant, usque dum benedicat *j*  
 & dicat: Sufficit.

a) Videt



- a) *Vid. notata c. 23. & seqq.*  
 b) *De hoc fusiùs infrà c. 52.*  
 c) *Id est, parte anteriore corporis in terrâ jacens ante pedes omnium.*  
 d) *Hinc patet, Monachorum excommunicationem solere fieri ad tempus, cum è diverso ab Ecclesiâ ferri soleat indefinitè.*  
 e) *Id est, plantis pedum, vel pedibus.*  
 f) *Iterum copulativè pro et.*  
 g) *Vid. notata c. 24. ad lit. e.*  
 h) *Id est, à primo Kyrie in Horis Canonicis, secundùm Statuta Bursfeld.*  
 i) *Prosternendo se in terram, ut modò dictum.*  
 l) *Cujus formula secundùm Statuta p. 203. hac est: Frater, indulgeat vobis Dominus; à satisfactione cessetis.*

25. MART. 25. JUL. 24. NOVEMB.

CAPUT XLV.

*De his, qui falluntur in Oratorio.*

**S**iquis, dum pronunciat Psalmum, aut Responsorium, aut Antiphonam, vel Lektionem, fallitur *a*; nisi per satisfactionem *b* ibi coram omnibus humiliatus